



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

V. Si qui pro euacuando mandato apostolico ante citationem appellauerint, aut alios in possessionem rei litigiosae induxerint, vel se malitiose subtraxerint, non est eorum appellationi deferendum: sed ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

CAP. V.

*Alexander tertius archiepiscopo Rothomagensi
& abbati* Geomar.*

ANNO
CHRISTI
1179.

11. q. 3. Si
episcopus.

Ex quorundam certa relatione audiuius, quod cum aliqui viri ecclesiastici, de prouincia vestra pro iustitia sua prosequenda literas commissorias a nobis impetrant, aduersarii eorum, vt mandatum nostrum eludant, antequam litera illa ad iudicem perueniant, vel literis nostris a iudicibus receptis, priusquam ab eis citentur, in vocem appellationis prorumpunt: aut conuentionem facientes, aliquos in possessionem eorum, de quibus controuersia vertuntur, malitiose inducunt. Quoniam igitur huiusmodi calliditates & versutias suis non debent in aliquo auctoritatibus suffragari, & nos contra praedictas calliditates & versutias, pastoralis volumus sollicitudine prouidere: discretioni vestrae, &c. quatenus si aduersarii, inter quos & ipsum super ecclesia controuersia diutius est agitata, pro euacuando mandato nostro supradicto modo appellauerint, aut de possessione qualibet * conuentionem fecerint, vel malitiose se absentauerint, eos qui in possessione praedictae ecclesiae se ingesserint, appellatione cessante, cogatis sub examine vestro iuris aequitati parere.

* conuentione

CAP. VI. *Lucius tertius.*

De his qui in sanitate vel infirmitate ad loca religiosa se transtulerint, nil tibi vel ecclesiis, a quibus receperunt pabulum salutis, relinquentes: hoc tuae prudentiae innotescat, quod si in aegritudine ipsa ad religionem transeunt, dummodo in aegritudine ipsa decedant, praedictis ecclesiis, a quibus assumpti fuerint, canonica debet portio exhiberi. Si vero ad religiosa loca in sanitate se transtulerint, cogi non possunt aliquid praescriptis ecclesiis imperiri: quia liberum est eis tunc bona sua non solum religiosi locis, sed etiam quibuscumque priuatis personis conferre.

CAP. VII. *Lucius tertius.*

Quoniam ex plenitudine potestatis, &c. Super hoc quod quaesiuisti, vtrum super ecclesiastico beneficio in